



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

S. Theodosivs Cœnobiarcha.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

ego ad vltimam vitæ lineam perueni: reli-
quum est, dilecti filioli, vti depositū, quod
accepistis fideliter custodiatis, vt qui haud
ignoratis, præsentia omnia fluxa, futura ve-
rò esse sempiterna. Enitimini ergo, vti in
censum beatorum referamini. Hæc effa-
tus, beneque precatus, cruce illos signauit,
& sublati in cælum oculis: in manus, in-
quit, tuas Domine commendo spiritum
meum, & grato quietis somno consopitus
obdormiuit in Domino, cum annos vixis-
set quinque supra nonaginta. Deus nobis,
eius deprecatu, misericordiam impertiatur,
Amen.

ANNO TATIO.

DE Leone Armeno tyranno, & Michaële Im-
peratore fusè dictum in vitâ B. Ignatii Patri-
archæ Constantinopolitani (quam Nicetas Pa-
phlago conscripsit) concilio VIII. Oecumenico
præfixa. Lege Curopalatum, Zonaram, Cedre-
num & alios.

S. THEODOSIUS II. Ianuar.
Cœnobiarcha.

Venerandus hic ex patribus nostris
Theodosius, in Mogariso Cappadocię

pago, Christianis & religiosis admodū parentibus Proæresio, & Eulogiâ natus, vitam complexus monasticam, sacram induit religionis vestem, Hierosolymamque profectus, inde Antiochiam adiit, vbi Simeonem eximium illum Stylitam conuenit, à quo futura illius vitæ sanctimonia illi prædicta, vt qui magni gregis animalium ratione pollentium futurus esset pastor. Deinde apud Longinum, laudatissimū quendam virum, rebus diuinis in solitudine eruditus, ad eam peruenit abstinentiam, vt in hebdomade non nisi semel cibo corpus reficeret, tandemque toto * triennio panem non gustaret; pariterque in aliis virtutum studiis tantum promouit, vt in summum pietatis culmen enisus inusitata signa ederet.

* S. Nicolaus Heluetus, totis 20. annis omnino prorsus cibo abstinuit.

Basilium quendam monachum defunctū, & in tumbam depositum, vidit vnus ille cum altero quodam monacho, fratribus astantem & psalmis accinentem. carbones nullo subiecto igne, vbi monasterium erat conditurus, accendit. Fœminam ad se ad euntem sanguinis profluuium liberauit. Ex vno frumenti grano per preces integra granaria repleuit. Puerum in altam putei delapsum voraginem, inspectabili præsentia
extra-

extraxit. fœtuum abortiones repressit, quidum in vitam immaturi prodibant, per mortem ex vita exturbabantur. Quare horum matrem ob hanc affectionem perinde ac si sterilis fuisset, fœcundam reddidit. in gens locustarum agmen verbo increpitans abegit. Quiricum orientis comitem veste sua cilicina, qua pro thorace illum induerat, inuulnerabilem præstitit. Sata terræ ardore laesa, impetrato per preces imbre recreauit. Prædixit ingentem per terræmotum Antiochiæ ruinam. Multos naufragium passos, & cum fluctibus colluctantes, periculo spectabilis visus eripuit. Multis autor vitæ religiosæ factus ad Dominum è vita excessit. Dies illi solennis in veneranda B. Petri Apostoli æde peragitur.

ANNOTATIO.

G Lycas Annal. 4. & Metaphrastes in Actis Iohannis & Cyri, narrant Theodosium M. Senuphii anachoretæ epomide seu super humerali indutum, & scipione instructum in hostes progressum, eos illico veluti præsentis numine territos in fugam coniecisse.

S. MAVSIMA

23. Ianuar.

Syrus.

I s

Vir